Bolla di Innocenzo IV

Basilicata University Press
–
Digital Humanities
Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Bolla di Innocenzo IV

1254-10-07

Innocentius episcopus servus, servorum Dei

Dilecto filio nobili viro Petro Ruffo de Calabria, comite Catanzarii fideli nostro, salutem et apostolicam benedictionem

Matris ecclesie multa benignitas, illum circa filios servat pietatis affectum, ut et hiis, qui ad devotione congrua reverentur ut matrem, beneficia grandia largiatur et alios etiam, qui post indevotionem et inhobservantiam ad ipsius beneplacitum redeunt et mandatum, a sua gratia non repellat, illis quidem beneficientie dexteram libenter extendens et ab istis manum misericordie non avertens, illos benevolentie sinu sedulo confovens et pie istos ad gremium propitiationis admittens, digno illo et dulcedinis mamilla reficiens et clementer consolationis ubera hiis propinans

Quia igitur ipsi ecclesie brachiis te totaliter commisisti, eam matrem et Dominam recognoscens, tua firmata salubriter ad ipsius mandata et obsequia voluntate. Nos de hoc multo concepto gaudio, recipientes te in nostram et Apostolice Sedis gratiam tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remittentes, personam tuam et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem uxorem tuam comitissam Catanzarii, ac omnes nepotes tuos cum universis consaguinesis et affinibus tuis, et cum [omnibus] bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub nostram et eiusdem Sedis protectione suscepimus et praesentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quevis persona ecclesiastica vel secularis vobis in personis vel rebus

iniuriam, molestiam vel gravamen inferre presumat. Et quia Regnum Sicilie, cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad predictam Sedem plenarie pertinet et est ad eius dominium totaliter devolutum. Nos, volentes te in illo multipliciter honorare, tuis supplicationibus inclinati, concessiones et donationes tam de Comitatu Calabriae [Catanzarii] quam de Castro Mesurace et Pheudum Rende a quondam Frederico olim Romanorum imperatore et Sicilie Rege et a Conrado nato ipsius tibi factas ratas habendo, illos non obstantibus quacumque privationis vel depositionis sentetia in quondam Fredericum aucthoritate Apostolica promulgata, vel quod pradictus Fredericus et Conradus erant tunc temporis vinculo excomunicationis astricti, et quod alias facultatem donandi, vel concedendi, taliter non habebant. De fratrum nostrorum consilio aucthoritate Apostolica confirmandas duximus et huius scripti praesidio muniendas. Ac insuper, ut erga nos et predictam Sedem tua devotio magis crescat, Comitatum, Castrum et Pheudum predictum ab eisdem Frederico et Conrado concessa, et siqua etiam desunt tibi ad eundem Comitatum spectantia, de novo tibi et heredibus tuis in perpetuum de fratrum eorundem consilio in pheudum conferimus de gratia speciali. Ita quod Comitatum, Castrum et Pheudum predicta, de quibus nobilem virum Fulconem, nepotem tuum tuo nomine investivimus, cum Castris, Villis, Baroniis, Terris cultis et incultis, Hominibus, infeudatis et non infeudatis, Silvis, Aquis Aquarum decursibus et Pascuis cum honoribus dignitatibus et cum hiis quae ad merum et mixtum imperium pertinent, cum iuribus, iurisditionibus ac aliis pertinentiis eorundem tu et hiidem haeredes immediate a Romana Ecclesia nullum alium preter

ipsam exinde recognoscentes superiorem vel dominum, perpetuo teneatis, tibi nihilominus concedente ut aliquos de nepotibus tuis vel ipsorum filiis, si prolem legitimam non habueris, haeredes tibi legitimos ac libere instituere valeas in praemissis. Volumus autem ut quotienscumque ipsa Ecclesia pro defensione Regni praefati generalem exercitum congregaverit vel indixerit, tu dictique haeredes teneamini pro praedictis octo milites equis et armis bene munitos ad serviendum per quatraginta dies in vestris sumptibus eidem ecclesiae infra Calabrie et Sicilie confinia exhibere. Nos quoque ac ipsa ecclesia te ac ipsos haeredes in predictorum Comitatus, Castra et Pheuda possessione manutenibus et contra omnes, qui vos molestaverint, impedierint vel turbaverint super illis, defensione vobis assistere curabimus oportuna etsi aliquem ius in eis vel ipsorum aliquo habere constiterit, de condigno illi consilietur in eodem Regno studebibus providere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, inhibitionis, confirmationis, collationis et concessionis infringere vel aliquo ausu temerario contraire, quod si quis fecerit hoc attentare praesumpserat indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noviter incursurum.

Rotas facimus, vitae, vias Petrus, Paulus, Innocentius Papae IV Domini. † Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus. † Ego fratres Ioannes titulus S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. † Ego Riccardus Sancti Angeli diaconus cardinalis. † Ego Octavianus Sanctae Mariae Inviolata diaconus cardinalis. † Ego Ranaldus Ostiense et Velletrense episcopus. † Ego Stephanus Prenestinus episcopus. † Ego Ioannes Sancti Nicolai in

Carcere Tulliano diaconus cardinalis. † Ego Octobonus Sancti Adriani diaconus cardinalis. Datum Anagnie per manus Guglielmi Magni parmenses, Sanctae Romanae Ecclesiae vice Cancellarius, nonis octobris, inditiones decima tertia Incarnationis Dominicae †† Pontificatus vero domini Innocentii Pape quarti anno duodecimo. Unde ad futuram rei memoriam, et predicti domini Comitis cauthela, et fidem de remissi omnibus / iudicis et iudiciis.